

*Poetae Lucani morientis
oratio*

CARMEN LATINUM

PRAEMIO CANCELLARI DONATUM

ET

IN THEATRO SHELDONIANO RECITATUM

A.D. XII KAL. IUL. MDCCCCVI.

AUCTORE

FRANCISCUS S. PORTER

E MAGNA AULA UNIVERSITATIS

OXONII

B. H. BLACKWELL

MDCCCCVI,

***SCIRE MORI SORS PRIMA VIRIS, SED
PROXIMA COGI.***

POETAE LUCANI MORIENTIS ORATIO.

ATRIA longa tacent : tantum fons limpidus undis
murmurat egelidis lenique silentia lapsu
rumpit : agunt dubiam iam prima crepuscula noctem
transque pavementum crescentes vesperis umbrae
sensim prorepunt ; post summa cacumina Phoebus
imbuit illapsus pacis dulcedine caelum.
Omnia tranquillam cessant composta per urbem.

At procul in tecti penetralibus ipse domorum
tantarum dominus, sed mox cessurus ab illis,
leti aditum exspectat : multa fore manat in undas
sanguis, et invalido discurrit vita meatu.
Circumstant dominum, fidissima pectora, servi
exigui numero quos aut benefacta ligarant
aut amor. At reliquos fortuna instansque tyranni
terruebat rabies trepidosque exegerat aula :
hi remanent casumque animi miserantur iniquum.
Ille oculis proni pereuntia lumina solis
haurit et exsanguis dum sensim languor inertes

artus attenuat, cum iam frigescere sensit
 corporis extrema, hanc suffecit pectora pulsans
 spiritus in vocem et moriens haec ultima dixit :
 “Auctoris revocata sui sic carmina fato
 conveniunt—‘Ruptis sanguis cadit undique venis,
 discursusque animae diversa in membra meantis
 interceptus aquis ; nullius vita perempti
 est tanta dimissa via ; pars ultima trunci
 tradidit in letum vacuos vitalibus artus.
 At tumidus qua pulmo iacet, qua viscera fervent
 haeserunt ibi fata diu ; luctataque multum
 hac cum parte viri vix omnia membra tulerunt ’¹—

Quid me ploratis, servi ? cur amplius aequo
 fletibus indulgetis inaniter ? haud opus illis
 compositae speciem mentis turbare serenam
 lamentis : fugite hinc, rerumque instante ruina
 vos saltem servate fuga : nunc omnia plenis
 membra fluunt venis : totum est pro vulnere corpus,
 iamque ministeriis vestris nulloque cadaver
 indiget obsequio ; tantum praestate supremum
 officium domino, corpusque exsangue sepulcro
 condite. Cura mihi sola haec in morte, peremptum
 ne liceat foedo corpus temerare tyranno.

¹ Phars. iii. 639. These lines are said to have been recited by
 Lucan while bleeding to death.

Ante velim flammis tradi malisque ferarum
 membratim absumi, talis quam flebile monstri
 ludibrium linqui vaesano et praeda furori.

Quo lacrimas leti? nec vos lugere decorum est
 nec me Fortunae non responsare superbae.
 Namque ego, qui cecini properati gaudia leti
 primaque praecepi mortalis munera vitae
 scire mori, quibus aspicio iam sensibus ipse
 instantis faciem mortis? qua mente supremam
 ordior ire viam? timor est, an grata voluntas?
 degenerem patiar Lucanum dicere gentes,
 fortibus et verbis non ipse interritus addam
 fortem animum? Druidis, Arctoe vatibus orae,
 credere vellem equidem tenebrosa negantibus umbras
 quaerere regna, alio sed vivere rursus in orbe.
 illis mors media est; regit idem spiritus artus
 et ducenda iterum vitae subtemina Parcis.
 Quodsi animae vivunt pereuntque cadavera solum
 cedant terrores; mortis metus omnis abito.
 Sin hominum nulli fatorum arcana movere
 fas datur, ignarique ad mortem cogimur omnes
 caelicolumque inopes factae ad ludibria pupae,
 non locus ille metus; magis admiranda deum vis.

O bona Libertas, morientem hanc accipe vitam;
 pro te pugnavit: tibi nunc se dedicat; at tu,

alma, fave : quos vis ventura in saecula sacras.
 Certum erat ereptam patriae te, dulcis imago,
 reddere : religio sed spem praepostera ludit,
 Piso,¹ timorque tuus mensam foedare cruore
 hospitis. Anne necem nunquam sancire tyranni
 magnus amor patriae valet et placare deorum
 numina ? Fortunae cum pignora tanta dedisses,
 denique in hoc illi nolebas credere, Piso ?
 Scandere rostra fori trepidosque ciere Quirites
 et tantam populo spem commisisse timebas ?
 degeneres adeo visi, te iudice, cives ?
 singula quid memorem ? tantorum causa malorum
 Scaevinus trepidans et servi lingua dolosi.
 occidit et Senecae pietas atque irritus ardor
 Sulpicii, Proculusque et Scaurus ad omnia promptus,
 audax interiit Flavus, periitque senator
 Scaevinus, nec inornatam te voce silebo
 virtutemque tuam, mulier,² mentemque capacem
 secreti, indignumque fidem postponere vitae.
 tormenti rigidas incorruptissima vires
 sustinuit tandemque, sua ne tradere quenquam

¹ Tacitus, Annals XV., 52. "It was next proposed to strike the blow when the Emperor was at a private villa of Piso's : again Piso refuses to violate the laws of hospitality, a piece of sentiment which in such a matter can hardly command our respect." Merivale, ch. 53.

² Epicharis.

voce urgeretur sociorum invita, petivit
 funibus adductis mortem, quis vincta sedebat.
 permissum est monstrare tibi quid femina posset
 durare, at Rufo probrum temptare supremum
 quidque viro posset vitae suadere cupido
 dedecus optanti pro vita turpe pacisci.
 Urgebat poenas sociis: nil profuit ulli
 pignus amicitiae: sed cunctis conscius index
 principis exacuit nullo discrimine ferrum.
 I nunc insidias pro libertate tyranno
 instrue, tormentis ut spes inmotas supremas
 Libentina urbis tueatur, vernula prodat !

Fata manu invitare iuvat, studiosaque mortis
 corda gero: neque enim producere longius aevum
 fert animus nisi uti coepto finem addere possim.
 nunc non finitis (quod quis lugere vetabit ?)
 carminibus, fati divorum exclusus iniquis,
 absisto vacuasque vocor volitare sub umbras.
 Sic species tam clara ruit, sic denique cessat
 Libertas experta feri depellere regni
 servitium: in tenuis spes tanta evanuit auras
 numinaque obsistunt et inexorabile fatum.
 Vincis, inhumana maculosa libidine Pestis,
 atque triumphata iam libertate superbis:
 fortia tot damnare indigna pectora morte

quippe iuvat, gaudesque viam fecisse ruina
 Bistoniiue nefas foedum superare tyranni.
 Imperium exercere putas imbellibus Indis
 aut servire tibi Seras mollemve Sophenen ?
 Roma, placetne tuis talem penetralibus imis
 inmisisse luem ? regno semperne nefando
 servitura graves patiere, miserrima, fastus ?
 usque adeone humili, tantum dominata per aevum,
 manseris obsequio, virtutis et inmemor irae ?
 non ita ; namque etsi multos Fortuna nocentes
 servat et in seras gaudet differre ruinas
 pone tamen sequitur : subita mox verbera dextra
 incumbens miscebit atrox et crimina coget
 pendere. Non dabitur demum tibi, pessime, fati
 effugium : restant Furiaeque parataque poenis
 agmina. Nam casus mens vaticinata futuros
 alta petit, longique per avia temporis errans
 cursibus extremis fatorum arcana resolvit.
 Eumenidum torvas facies saevamque flagello
 Tisiphonen video, villosaque colla colubris
 Oedipodioneasque vices vetitisque hymenaeis
 supplicium. Furias insons Pelopeus Orestes
 fugit maternae sectantes crimina mortis :
 ille quidem veniam nanctus culpamque piavit ;
 quippe auctore deo sceleratum attingere factum

ausus erat, matrique vices et debita fati
 struxit : tu parili fatis reus, inprobe, noxa
 sospes adhuc vadis sperasque inpune deorum
 posse potestatem contemni arcanaque iura :
 ergo inpune sacram maculabis sanguine Romam
 nec solvent, scelerate, incesti debita tandem
 concubitus caesique patres ? Roma arserit igni ?
 Inpune immodicae, furiose, indulseris irae ?

Quis credat regnare Iovem ? quis supplice voto
 numina digna ? cavis elisi nubibus ignes
 inmeritas feriunt quercus, culpaque vacantes
 fluctibus in mediis naves ferus obruit Auster :
 hic, superum spretor, sceleris vestigia servat
 incolumis : quin iam peccandi peccat amore.
 Mentimur curare deos mortalia : quodsi
 vota valent hominumque advertere questibus aures
 vos, superi, scitis, gemitus audite precesque,
 oppressam spectate urbem, discatque tyrannus
 esse deos et fata vices sumptura merentes.
 Credis Oresteae nutare ultricia culpae
 numina, nec capiti superimpendentia fata
 respicis. Humanae debes ludibria genti
 cui tota in vitio versetur vita. Tumultus
 et coniuratas video in tua funera sicas
 et proturbatum celsa de sede tyrannum.

Volvitur infelix, nullo miserante, peritque
 Romanorum odium populorum, inhumatus harena.
 Semper inaudito sceleri sic digna paretur
 poena : reformident venientia saecula mundi.

Nec tibi sat visum, vaesane, hominesque deosque
 iuraque deridere, at Musarum quoque sedes
 sanctas ausus adire integros polluis haustus,
 Pieridasque leves nugas garrire coerces
 proh pudor ! indignas sacrorum praeside tali ;
 sublimis vates ! stridentia carmina conde,
 effuti, verosque veta recitare poetas.

Sic, sine rivali, cuneos certare sonantes
 aspicias et eris vatum tibi maximus uni ;
 demens ecce poeta regit pro principe Romam !

Cernitis ut summi lapsus post culmina collis
 sol ruat, extremoque diurni in cardine cursus
 Hesperiiis pronum se tingere gestiat undis.
 Iam se, non iterum mihi conspiciendus, ademit
 inreducique via nobis caput abdit honestum :
 devexum sed enim ferre incommittatus in undas
 dedignatur iter, veritus ne lumine tellus
 ocus orba suo trepidet formidine vana.
 splendores remanere suos iussitque flagranti
 luce polum lustrare : rubent hinc aetheris axes,
 hinc vespertini splendent miracula caeli.

II

Haud secus intereunte meae quoque lampade vitae
 umbra subit tenebrosa : premet mox mortis obortae
 lumina caligo quaeramque exilia regna
 atque arcana petam caecae penetralia noctis.
 Sic mihi post obitum nonnulla supersit imago
 servatura meae si quid memorabile vitae est,
 neve omnis moriar totumque oblitus in aevum :
 nec, fateor, spes omnis abest : mihi Musa sibique
 arrogat aeternos et poscere cogit honores,
 nomen inexstinctum et vivas in saecula laudes.
 Nam, si quid Latiis fas est promittere Musis,
 quantum Smyrnaei durabunt vatis honores
 venturi mea meque legent : Pharsalia nostra
 vivet et a nullo tenebris damnabitur aevo.
 forsitan et mors ipsa suo me nomine honestet
 nobilitetque novo superaddita lumine vatem."

Dixerat. Ast illi tacito languentia membra
 corripiens cursu vitales frigida sensus
 mors premit atque oculos altus sopor urget inertes ;
 vita fugit vacuasque soluta recessit in auras.

O praeclare poeta, tuo si mollior aetas
 levorem ingenio maturum artemque dedisset !
 Quantum instar, vatis quod nobilis incrementum
 si modo vixisses ! nervi, facundia, vires
 naturae tibi dona et verae vena Camenae

Phoebo digna loqui : neque erant obstantia cursu
quin primas partes, vates Romane, teneres
ingenium cuius tantum sese extulit omnes
rivaies inter supereminuitque relictos
quantum infra positas nubes despectat Olympus.

Iamque datum completur iter comprehensaue meta.
Haec tibi, re dignum si quid mea musa sonaret,
ingressus vereor, laudes accendere, vates,
dum meditor tibi, ne contra detriverit ipsa
nostri cura operis : sed inexpugnabilis ardor
stat, neque poenituit nostrum impendisse laborem
pro re pauca loqui lingua mage divite digna.